

62

INSIGNIA
PRÆLUSTRIS
Societatis Scoticanæ,
AD
AFRICAM & INDIAS
Mercaturam Facientis, Explicata.

JAm via tuta patet vaſtus *qua panditur Orbis*,
Scotia, navigiis littus in omne tuis.
Sol Oriens ſupra *Galeam* fælicia ſignat
Tempora qui Mundum circuit Axe ſuo.
Utque ſuis radiis Sol totum illuminat Orbem,
Sic *Scotis* Jus eſt Solis ad omne latus.
Diviſum & *Scutum* partes in quatuor æquas
Tot Mundi expreſſas exhibet arte plagas.
Cœruleóque ſolo Crux candida more *Decuſſis*
Denotat innocuam perpetuamque fidem.
Europam referens Clypei ſtat parte ſupremâ
Navis onuſta, ferens Carbaſa tenſa Notis.
Quæque *Caledonias* naves diſtinguat, *apluſtre*
Cæruleum in malo *Crux* ſecat *alba* volans.
Exprimit hinc *Aſiam* dextro quadrante *Camelus*,
Jumentum patiens pulveris atque ſitis.
AFRICAM ab adverſo monſtrat quadrante *Elephantus*,
Bellua quâ nulla eſt Marte vel arte prior.
Peruviana & ovis ſubtùs ſpectabilis auro,
Americæ ingentes optimè adumbrat opes.
Suſtentantque *Viri duo nudi* Inſignia, quorum
Hic niger eſt *Afer*; fuſcus is *Americus*.
Inque humeris dextris ſtat *Cornucopia* plena,
Omne genus fructûs deliciaſque ferens.
Fortior unita eſt *vis* imâ pingitur orâ:
Sic quæ non proſunt ſingula, juncta juvant.

Quiſnam igitur poſthac auſit contendere *Scotis*,
Egregiis pariter Marte animiſque viris?
Mos quibus eſt ſævis caput objectare periclis,
Et per mille neces quærere laudis iter.
Carduus eſt vobis [illegible] impune laceſſet,
Unguibus horrendis terribiliſque *Leo*:
Sunt quoque ſpectati Juvenes florentibus annis
Bellica quos virtus, celſus & ornat honos.
Auſpiciis quorum veſtri ductuque Senatûs,
Quis ſapiens dubitet grandia poſſe geri?
Inclyta *Scotorum* fama eſt diffuſa per Orbem
Hactenùs, at nuper claruit illa magis.
Poſtquàm parva manus noſtrorum fortibus auſis
Reſtitit *Hiſpanis*, depulit atque loco;
Et turpi dare terga fugâ denſata coegit
Agmina, non aliter quàm fugit agna lupum.
Quando igitur valeant tam pauco milite *Scoti*
Confertos hoſtes fundere, & obterere;
Viribus unitis quid non præſtare valebunt
Quorum ſors una eſt, mens, manus, atque fides?
Floreat ô ſeros nova noſtra *Colonia* in annos,
Et duraturum nomen ad aſtra ferat.
Magna *Caledoniæ* ſic gloria ſurget utrique
Rumpatur veſtris hoſtis ut ipſe bonis.

FINIS.